

**De ischuria vesicali : dissertatio medica, inauguralis ... / eruditorum
examini subjicit Robertus Buck.**

Contributors

Buck, Robert.
Lister, Dr
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, 1780.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/crzf39pd>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Digitized by the Internet Archive
in 2015

<https://archive.org/details/b22448330>

D E
ISCHURIA VESICALI:
DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;


Eruditorum examini subjicit
ROBERTUS BUCK,
ANGLUS.

Soc. Phys. Soc. Hon. et Praeses Annuus.
Nec non
Societatis Medicae Regiae Edinburgene Socius.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURG:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M.DCC.LXXX.



ESTO

DISCURSUS VESICALI:
DISCUTITUR MATERIA
SAGITTARIA IN

LIBRO VI

ОЧИМИ ОММА АТИЧИИ

Андроника Римского

С. ГУЛЛЕМОНСТРОПП.

Изображение и описание

Изображение и описание

и описания

Очей венчаных седыми
и золотыми кольцами
и с золотыми кольцами
и золотыми кольцами

БУКР ВИТАНОЯ
АНОНА

Букр витаноя

Viro Illustri,

JOANNI HOPE, M. D.

Et Medicinae ac Rei Botanicae,

In Academia Edinensi,

PROFESSOR;

Nec non,

Patruo Suc,

RICARDO HULL,

Apud CHORLEY,

In Comitatu Lancastriensi,

Chirurgo Perito,

Salutem

ROBERTUS BUCK.

Quibus potius quam vobis, Viri dignissimi, has studiorum primitias sacras dicerem? Sub tuis nempe auspiciis, Illustris Professor, quicquid dissertatiuncula continet, in Nosocomio Edinensi didici; neque solas mibi Praeceptoris praestitisti vices, insignem quippe illam morum comitatatem, quam in te omnes laudant, ego imprimis expertus sum.

Tu, Amicorum optime, adhuc fere infantem, Patre heu! carissimo orbatum, excepisti: Tu juvenem Artis Medicæ primis imbuisti disciplinis: Alto quidem animo reposita manent tot beneficia, nec quid tanto Patrono debeam ultra ventura dies immemorem me deprehendet.

W^m Lister
from his Friend
The Author

D I S S E R T A T I O M E D I C A,

I N A U G U R A L I S,

D E

I S C H U R I A V E S I C A L I.

ISCHURIA duplex est; altera Falsa vocatur, in qua neque quicquam urinae ad vesicam attingit; altera Vera, ubi urina in vesicam jam delata foras expelli nequit. Prior morbus a vitio unius utriusve renis vel ureteris oritur; quo fit, ut nulla feceratur urina, aut ejusdem jam secretae iter ad vesicam quoquomodo occludatur. Posterior vero, de quo pauca loqui solum in animo est, a variis caufis induci potest. Hunc autem bifariam distinxerunt hodier-
ni,

6 DE ISCHURIA VESICALI.

ni, in vesicalem, nempe, et urethralem ; de eo tamen potissimum, qui ex vesicae vi-
tio oritur, scribere statui, quippe cuius me-
dela potius ad medicum pertinet.

Evidentes causas primo indagare optimum esse judicavi, et symptomata dein singulis propria fusius describere, cum historiam morbi cuicunque casui convenientem exequi, difficillimum vel etiam impossibile fore praevideam. Obiter autem annotare vellem, ab urina diu in vesica retenta, qualisunque demum ejus causa fuerit, haec pene perpetua esse :

Tumor figuram vesicae primo referens in aliqua pubis parte oritur, atque paulatim crescens, cum sensu ponderis, circa imam ventrem partesque vicinas, molesto, donec totum fere abdomen occupet. Dolens jam vesica universum corpus in consensum citato trahit ; urgent imprimis anxietas, gravis capitidis dolor, vertigo, nausea, vomitus, singultus, quae, si hominem diu exercent et torquent, ad extrema ventum esse testantur : Superveniente enim apoplexia, convulsione, aut sopore, misere interficiunt.

Neque

Neque quidem ad haec omnia mala facienda, opus est ut urina penitus supprimatur; si enim stillicidium sit, vel effluxus ejus liber cohibeatur, eadem (testibus Ruysch, Morgagni, Home, aliisque) aliquando eveniunt; dummodo copia urinae non rite expulsae vesicam tandem praeter modum distendat.

Haec autem vesicae plerumque communia sunt: Vim sese contrahendi inde amittens, ingentem et incredibilem fere distensionem primo patitur; hinc inflammatio, gangraena, interdum etiam laceratio: Quae si quovis modo praeveruntur, at morbus nihilominus inveteraverit, (quod quidem multo frequentius est), fibrae musculosae fere semper crassescunt, totaque vesicae substantia densior tandem atque durior fit.

Nonnunquam etiam a diuturna distensione vesica ad inguen vicinasve partes descendit, lapsum ibi intestinorum multum referens.

Cum plus urinae recipere vesica nequit, ureteres quoque urina haud raro adeo distenduntur,

stenduntur, ut, et si per immissam fistulam haec educeretur, tamen quam cito rufus vesicam impleret.

D I A G N O S I S.

Diagnosin inter ischuriam et alios morbos omnino non necessarium duco, cum ipsa urinae retentio vetet pro alio quocunque haec facile sumatur: Nec multum ad rem confert, ut nimis subtiliter consideremus, utrum morbus sit idiopathicus an aliorum tantum sequela fuerit, quo casu idoneam aequa curationem postulat, et saepe etiam magis sedulam, quam morbus ipse unde originem ducat.

Falsam a vera utcunque dignoscere haud inutile est.

In hac, post gravitatis sensum circa pubem et perinaeum, et perpetuum plerumque ad urinam reddendam stimulum, tumor ille sub tactu dolens ad hypogastrium oritur; qui etiam, a digito in anum vel vaginam immisso, innotescit.

innotescit. Fistula autem in veficam altius missa, urina *, certissimum signum, effluit.

Neque et haec symptomatum series perpetua est; pro diversis enim causis, aliquantum differre potest, ut postea de singulis tractantes videbimus.

In falsa ischuria, immuni hypogastrio, dolor aut gravitatis sensus circa renes, vel utriusque ureteris tractum, suboritur; nulla vero vel minima mingendi cupiditas, ob inanem veficam, urget; res autem patet, si, immisso profundius cathetere, nihil quidquam urinae effluat.

B

Et

* Hanc, auctores omnes tanquam certissimam diagnosis tradunt; plura tamen vidi exempla ubi ischuria diu inveteraverat, et etiam ex symptomatibus patebat in vesica adesse urinam, hujus tamen parva admodum quantitas educta est, quamvis catheter perita manu immisso furerit; sed, quanquam cathetere saepius immisso, parca quidem urina singulis temporibus, diei tamen unius spatio, multa effluxit. Hoc accidit in duabus aegris, quarum postea in nota ad Paginam 27 mentionem facturus sum.

Et si, cum ischuriae verae signis, simul urinae stillicidium est, morbum, quamvis fallacem, haec signa facile detegunt. Cadaverum enim sectiones rem, alias obscuram, vixque antea suspicandam, clare explicaverunt. Affiduo, imo solito copiosius, fluente urina, eam in vesica retentam iri, quis suspicari poterat? Neque solertissimos medicos, hac stillicidii specie se olim disceptos fuisse, sponte fateri puduit; id quod satis superque probat, quam cautus semper debeat esse medicus 'in definiendis morbis 'ad partes urinarias spectantibus, quippe 'quorum diagnosis (uti olim admonuit illu- 'stris Morgagni) summa etiam arte quaesita, 'non rarissime fallax est.'

C A U S Æ.

Neque ipsum malum cognovisse sat est; sed et intelligere oportet causas ischuriam efficientes, quae quidem omnes, utpote multiplices,

DE ISCHURIA VESICALI. II

tiplices, non facile deteguntur; paucae tamen sunt quae medicum sagacem omnino fugere possunt; paucae denique, quibus idonea remedia adhibere non in promptu est, nisi ejusmodi manifesto fuerint, ut curationem non admittant.

Quo lucidior autem sermo fit, unde ischuria oriri queat, primo, breviter propo-
nendum; dein singulae causae fusius evol-
vendae; vesicae enim physiologiam et
structuram silentio omnino praeterimus.

Urina a renibus paulatim destillans, vesicam tandem distendit, stimulat, et in contractionem ciet: Haec vero vis, vesicae pro-
pria, ad contenta sua expellenda potissimum valet; parum enim auxilii afferunt musculi abdominales, quoties ista cessat, et cessat quidem vel musculosarum fibrarum vitio, vel si reliquae tunicae harum actioni solito magis resistunt; atque adeo propter debilitatem aut paralyzin, unde unde ortas, vel propter varia tunicarum ejus mala. Ubi autem vires, quibus urina redditur, prorsus illaesae sunt, expulsio ejusdem a substantiis

intra

intra vesicam hospitantibus, vel a collo vesicae quocunque modo occluso, impediri potest. Si quando, denique, partes vicinae morbum aliquem conceperint, qui vel urinæ iter opprimat, vel vesicam ipsam laedat, vel in consensum trahat, ischuria pertinax haud ita raro exorta est.

Quae igitur causae ischuriam efficiunt, cae sitae sunt :

1mo, In ipsa vesicae urinariae substantia.

2do, In ejusdem cavo.

3tio, In partibus vesicae vicinis.

Quando morbus a vesicae ipsius vitio ortum duxerit, peccant plerumque aut fabrica ejus musculosa universa aut pars ea quam sphincter vocant. Quin et aliquando tota vesicae substantia, vel pars aliqua membranarum, male habentes, eam contractioni parum idoneam reddant.

Fibrarum musculosarum vitium, quo ischuria induci potest, vel spasmus est, vel torpor, vel paralysis.

SPASMUS a stimulo fortiori, parti affectae admoto, aut sympathia, aut causis admodum

dum obscuris, jam praeeunte seminio, oriri potest: Quamcunque autem in vesica originem habeat, sphincterem praecipue afficere videtur; ex totius namque vesicae spasmo, vix urinae suppressio, sed potius incontinentia, nasceretur. Spasmi in universum causas, et quam his obnoxius sit sphincter, animo secum reputanti, urinam ex hac causa saepe supprimi facile patet.

In vehementiore autem spasmo, constrictio ad vesicae collum fere insuperabilis est, et aliquid durum, perinaeo explorato, ibi renititur. Dolor* autem acutus, calculum mentiens, cum perpetuo mingendi conatu, ad vesicae cervicem intenditur. Pubes dein,

tactus

* Cum vero vesica sensu praeter naturam tunc polleat, doloris, quae ex spasmo oritur, vehementia saevissima sit oportet; in sano namque statu, Tiberius cruciatum ~~magis~~ exquisitum, quam vinculum arctum peni injectum, invenire ~~non~~^{unde} potuit, 'excogitavit,' enim, 'inter genera cruciatus, ut larga meri portione per fallaciam oneratos, repente veretris diligatis, fidicularum simul urinae tormento distenderet.' *C. Suetonius, Tranq. lib. 3.*

tactus admodum impatiens, paulatim tumescit: Gravis etiam desidendi cupiditas simul urget, qua tamen nihil plerumque excernitur.

Urina a spasmo suppressa, aliquando ex totius corporis vitio enascitur, quod nimirum stimulis assuetis justo sensilius est. Habitum igitur corporis nimis sentiens, nimis mobilis, ischuria ex hac causa opportunityes reddit. Unde foeminas et infantes saepius adoriri solet. Cum autem hysteria ex iisdem fere causis oriatur, cum ipsa tot induat formas, mirum non est si vesicae demum incumbat; quod quidem, ubi malum inveteraverit, signa antea vix superanda exasperare, multoties novi. In tetano etiam, aliisque morbis spasmodicis, urina nonnunquam supprimitur.

At, ubi nihil hujusmodi in caetero corpore est, vesica ipsa stimulorum ita impatiens esse potest, ut sphincter ejus in abnormem istam contractionem a leviore irritatione incidat. Huc referre fortasse liceat, vesicae (monente Hoffmanno) spasmum, a suppressa

suppresso haemorrhoidum vel mensium fluxu, ortum; tum enim vasa circumcirca distenduntur, praecipue autem ea quae ab eodem ramo oriuntur, et major sanguinis copia acriorem in vesica, uti in aliis ubique musculis, sensum excitat *.

Saepius vero in vesica manifestior morbus est; ubi enim tunicae erosione vel levi ulcere afficiuntur, urina fibras musculosas attingit, et has ad spasmum insolita irritatione sollicitat: Id quod etiam accidit, si mucus, qui ad vesicam defendendam destinatur, vel absens est vel depravatus.

At in vesica, morbi cujuscunque immuni, ob nimiam irritationem idem provenire potest. Sic urina, a larga cantharidum dosi vel vesicatoriis, acris facta, ischuriae haud raro causa est. An huc quoque referre licet urinae suppressionem, quam eruptio-

* Quasdam novi mulieres, mobili habitu praeditas, quibus catamenia parce et difficulter effluunt; ad omnem periodum urina magna cum difficultate, redditur, ne dicam, aliquando prorsus supprimitur.

nes a cute intus repulsas sequi Morgagni memoravit? Et malum idem quod, in statu vel etiam declinatione variolae, junioribus familiare esse, Sydenhamus accurate scripsit?

Vesica autem a sympathia spasmo aliquando laborat; “graviter enim affectis vicinis partibus, adeo non insolitum est vesicam in consensum trahi, lotiumque non expellere, ut Sennertus inter signa inflammatorum intestinorum hoc recentier fuerit: Quin etiam olim Caelius Aurelianus, inter caetera ileon comitantia mala, vesicae et officii ventris perfectam abstinentiam posuit.” *Morgagni de Sedibus et Causis Morborum, Ep. 34. §. 8.*

TORPOR autem, vitium spasmodorum prorsus contrarium, urinam suppressere valet, quandounque sensus vesicae eousque imminutus fuerit, ut neque ejus distentio, neque urinae stimulus hominem ad mingendum concitet, priusquam vesica adeo distendatur, ut multum intentet periculum.

Ubi

Ubi universum corpus male se habet, veluti in melancholicis et maniacis, in febribus quibusdam, vel post venena quaedam sumpta, uti opium, nux vomica, arsenicum; urina, ob hujusmodi stuporem, in vesica reprimitur.

Malum, ob eandem causam, senibus familiare est; sene~~c~~tus quippe corpus hebetat. Dormiente etiam homine, praesertim, secundum Morgagni, si diabete laborat, adeo obtusus est aliquando vesicae sensus, eaque tantam infcio patitur distentionem, ut mox in experrecto vix aut ne vix quidem ad justam iterum excitetur contractionem.

Supereft et aliud fibrarum musculofarum vitium; summa nempe atonia seu PARALYSIS, supra dictis multo frequentior et aegrius tollenda. Plerumque enim in provectioni ischuria, a quacunque causa primum enata, si urina, quoties res postulat, non emitatur, vesica demum paralytica evadit; cuius quidem rei, cum vesica muscularis cavus sit, ifdemque, ac musculi reliqui, legibus pa-

reat, cuivis motum muscularum intelligenti
haud obscura erit ratio.

Ubi vero vesica primo resolvitur, post
dysuriam, plerumque per aliquot dies, urina
vel prorsus supprimitur, vel parce et gut-
tatum effluit; abdomen in utroque exem-
pto sine vel minima meiendi cupiditate
paulatim tumescit. Cum autem vesica vim
se contrahendi amiserit, neque si, immisso
tubulo, urina educatur, abdomen illico de-
tumescet.

Hoc in vitio, vesica, utris mortui fere in-
star, distensionem adeo immanem patitur,
ut parum absit quin aliquando laceretur;
Tum enim aeger stimuli ad urinam redden-
dam, et doloris a distensione prorsus expers,
(ab intolerandis faltem cruciatibus ictis,
quibus spasmo vesicae laborantes exercen-
tur, prorsus immunis), in animum induce-
re, urinam sibi supprimi vix potest *, nec
instrumen-

* Medicus quidam, referente Cl. Monro, ita labora-
bat, qui sibi persuadere non poterat, vesicam ipsam
tumescere,

instrumentum in vesicam immitti, ut poterem
crudelem atque inutilem concedet.

Paralyssi autem laborat vesica cum vicinis
partibus simul laborantibus, vel ipsa pro-
priam paralyzin, caetero corpore illaeſo, fu-
bire potest. Attamen, ex quocunque caſu,
ſi fibrae musculofaſe ſuam vim prorsus ami-
ſiſſent, urina non retineri, ſed potius invito
aegro elabi, debuiffet. Quod ſaepe quidem
uſu venit ubi inferiores partes omnino re-
ſolvuntur. In articulo etiam mortis, in a-
poplexiae aut epileptiae paroxysmis, aliis-
que morbis, quibus viſ nervosa multum fu-
bitoque interpellatur, in ſchirris quoque,
aliisve ad oſtium veficae vitiis quae sphinc-
teris actioni officiunt, urina inſcio et nolen-
ti effluit. Si igitur urina a refoluta vefica
ſupprimatur, sphincterem adhuc illibatum
effe argumentum eſt, vel, eum faltem po-
teſtatis

tumescere, potius credebat tumore quodam veficam
comprimi, et eo magis quod ſimul urinae ſtillicidium eſſet.
Paulo post mortuus eſt, et in cadavere reperta fuit ve-
fica craſha et valde diſtentā; *Praelect. Anatomic.*

testatis suae caeteris vesicae partibus tenaciorem esse, testatur, et vires simul istas languere, quibus renixus ejus superari solebat.

Causae paralyfis communes et in vefica paralyfin faciunt; quas ergo omnes enumere non nostrum est: Sed cum ischuria praecipue oriatur a paralyfi, quae partes infra lumbos positas male habet, hujus causas breviter percurram. Notabiles sunt injuriae lumbis illatae; tumores omnigeni nervos in ea parte comprimentes; contusio vertebrarum vel harum forte luxatio; spinalis medullae vulnera; frigus his partibus diu admotum, praesertim a diurna mora in aquis frigidioribus; quae omnia, aut nexui, qui vesicam inter et reliquum genus nervosum intercedit, officiunt, aut vim nervosam in ipsa parte delent.

Vesica denique ipsa, vicinis partibus illaes, vim se contrahendi haud raro amittit; id enim cum aliis musculis commune habet, quod a nimia distentione, ob urinam diutius quam par est retentam, paralytica
demum

demum evadat. ‘ Etenim (uti jamdudum
‘ accurate scripsit Galenus) accidit inter-
‘ dum, hanc suppressionis urinae causam
‘ esse, quemadmodum sanis quibusdam, vel
‘ urgentibus negotiis, vel in concionibus,
‘ vel in senatu, vel foro, vel convivio, re-
‘ tenta longiori tempore urina, extensa
‘ supra modum vesica, urinam supprimi,
‘ contractrici facultate laesa propter immo-
‘ dicam tensionem.’ *Galen. de Locis Af-
fectis, lib. 6. cap. 4.*

* * * * *

UBI urina a causis supradictis supprimi-
tur, male se habent in universum fibrae
musculofae, sive eae inordinate agant, sive
torpescant, vel omnino solvantur: At vis
vesicae, quatenus a fabrica musculara ea
pendeat, ita integra esse potest, ut urinam
exprimere plusquam valeat; propter tamen
tunicas ejus ad contrahendum ineptas, et
actioni muscularum solito magis resistentes,
urina expelli nequit.

Varia sunt tunicarum vitia; primum au-
tem recenseri debet INFLAMMATIO, quia nul-
lus aequem metuendus casus in vesicam incidere
potest,

potest, et omnis fere inflammatio urinam reddi naturaliter prohibet; ejus autem tota suppressio graviorem morbum non solum indicat, sed etiam fibras jam nimis sensiles distrahendo, eundem exasperat: Neque inter est num spasmus, vel tumor, vel ad motum difficultas, parti cuicunque inflammatae communis, urinam supprimat; cum inflammatio, semel alicubi orta, ad caeteras tunicas serpat; hac autem sublata, urina denuo fluit.

Aliqui vesicae collo inflammationem solum inhaerescere existimaverunt; sed, cum in omni ejus parte se prodiderint clara praeeuntis inflammationis vestigia, nec dubitandum quin ipsa olim praecesserit. Vesicae tamen, uti caeterarum partium inflammatio, duplex esse videtur, chronica scilicet et acuta; haec brevior et gravior solet esse, illa longior et levior. Cadaverum enim sectores, sine ullis praecedentibus acutis signis, abscessus vesicae et ulcera invenerunt. Fatendum tamen est, acutam inflammationem partes circa vesicae collum frequentius occupare,

cum

cum hae et acutiori sensu polleant, et causis morbum moventibus magis sint obnoxiae.

De his hactenus tractare non alienum fore putavi, quia levioris inflammationis est quam forte distentio fecit, malis quibusdam occasionem praebere, quae et urinam supprimere valent, suppressamve exasperant. Est enim, ut credatur, CRASSITUDINEM eam, schirrum, corium, imo cartilaginem aliquando referentem, a praeeunte hujusmodi inflammatione provenire; sanguine namque in vasis congesto, lympha coagulabilis effunditur, in quam et alia vasa repunt; accrescit dein nova materies, mutaturque tandem fabrica.

Quod si hujusmodi vitia superioribus vesicae partibus solum inhaeserint, urina summa cum difficultate redditur, vel invito guttatum profluit; vetat tamen plerumque vesicae impotentia ne urina penitus exprimatur. Eadem ideo signa paulo post secutura sunt, ac si a principio plena fuisset suppressio; quae quidem accidit quando vesicae collum circum circa laborat: Tum etiam tubulo

bulo ad educendam urinam immisso, durities ibi percipitur. Abdominis autem tumor ad latus, ei in quod aeger decumbit oppositum, saepius elevatur ; et vesica tumida, rectum coarctans, alvum pertinaciter astringit.

Ad vitia tunicarum quoque pertinent TUMORES diversi generis ex iis enati, qui urinae iter obstruere possunt, immo nonnunquam ad tantam molem crescunt, ut totum fere vesicae cavum repleant.

* * * * *

Propositis jam tunicarum vitiis, proximum est ut de his dicam quae intra vesicam haerent ; horum autem praecipua sunt vel Calculus, vel Mucus, vel Pus, vel Sanguis congrumatus ita situs, ut, collo occluso, egressum urinae impedit.

Ischuria a CALCULO facta pueris saepius accidit quam adultis ; saepius viris quam foeminis. Minor autem calculus in vesicae cervicem facilius impingit, urinamque pertinacius retinet, quam is qui major est. Praeter tamen urinae iter a calculo ipso ferre occlusum, probabile est, et spasmodum et levem

levem inflammationem ab irritatione ejus produci; quia nullus fere datur in vesica calculus qui ostium urethrae ita arcte claudat, ut urina penitus supprimatur; potius vero cum mictionis affidua cupiditate ea parce et difficulter inde reddita foret.

Si autem urina pueris suppressa est, eam a calculo provenire conjectare licet, si naturalia manibus crebro scabunt; res vero ultra dubium ponitur, si medicus, instrumento in vesicam immisso, calculum sentiat; quod et in adultis obtinet; quamvis in his signa plerumque manifestiora sint, multum tamen abest, ut medicus de hac re in omnibus certior fiat, priusquam vesicam exploraverit.

MUCUS intimam vesicae membranam perpetuo irrigat, ne ea ab urinae acrimonia nimis laedatur; qui autem uberior atque spissior aliquando factus in cavum vesicae adeo copiose destillat, ut ad collum ejus decidat, eumque possit obstruere. Id quod nonnunquam in catarrho vesicae accidere

D

confuevit.

confuevit. Suppressionem ex hac causa ortam esse dignoscitur, si urina turbida antea difficulter expulsa fuerit, et in ea sedimentum crassum et viscidum, quale albumen ovi est, subsfederit, ad imum matulae haerens.

Pus autem modo a renibus huc descendit, modo a vesica ipsa profluit. Pus vero in vesica factum potius ischuriae causa est; quia in hoc casu id non solum magis sacerum est, verum etiam tunicae vesicae male se habentes solitum renixum superare nequeunt. Signa quae urinae suppressionem antecedunt, eam ex hac causa enatam esse monstrant; veluti praeeuntia inflammatio-
nis signa, postea autem ingens et frequens meiendi cupiditas. Urina tamen pauca fer-
tur et crassa, multumque puris foetidi per quietem deponit. Dolor autem in perinaeo vel pube, admota ibi manu, vel erecto cor-
pore, simul intenditur.

Quando

Quando denique SANGUIS in cavum vesicae effunditur, ibique satis diu remanet, ut particulae rubrae in unum coaluerint, potest et id coagulum ostium urethrae claudere. Si sanguinem mingere, idque cum grumis aliquando mixtum, eidem homini non novum est; si manifestior injuria, qua vasa distrahi possunt, vesicae illata est; si, denique, vesica explorata aliquid ad vesicae collum instrumento resistit, et sanguis simul extremum tubulum tingit, fieri vix potest quin urina suppressa originem ex grumo suspecto ducat.

Urinae, a calculo, muco, pure, vel sanguine, suppressae id commune est, quod stimulus ad mingendum frequenter urgeat, et dolor a distenta vesica multum intendantur. In tribus vero novissimis, et forsitan etiam in aliis, nonnunquam confuevit, ut aër, post urinae fluxum, cum impetu magno et sonitu quodam, per tubulum immisum, erumpat *. Cujus quidem ratio in aprico erit,

* *Ædopsophia urethrae, Sauvages, vol. 2. p. 417,*
cujus

erit, quando vesica intus exulceratur; tum enim exulceratio, ad intestina vel vaginam progrediens, manifestiorem aëris aditum facit. Cum vero citra omne ulceris signum,
aërem

cujus jam quatuor exempla vidi; in primo, a catarrho vesicae inveterato urina difficillime effluebat. In secundo, ischuria erat a prolapsu uteri simulque in hujus cervice ulcus. In tertio, puella per biennium ischuria laboraverat: Antequam aër ex urethra erumpere coepisset, urina saepe cruenta erat, sine ulla cruoris coacti specie; ubi vero aëris eruptio supervenit, urina carnis loturam referebat, et odorem prae se ferebat penitus alkalimum. In quarto, mulier, paucos menses ischuria vexata erat, urina crassa et rubra sedimentum, sanguinis crassamento haud absimile, demittebat.

In tribus novissimis exemplis, cathetere saepe immisso, urina parca plerumque effluebat, quae statim aëris flatum antecedebat, ea vi insolita expellebatur, et aër ex cathetere prodibat magno cum sonitu, odorem diffundens, urinae in putredinem vergentis aemulum.

In tribus exemplis, aëris flatus, immisso cathetere, semper observatus est, donec urina sponte exiret; in quarto, desit quando ulcus vaginae sanatum est, et si ischuria manebat. Altera ex aegris, dum postea familiari coacta esset, urinam, natura postulante, sine incommodo reddere non potuit; hinc iterum urinae suppressio, et simul cum hac aëris eruptio.

aërem pariter erupisse noverim, eum in vesica ipsa quovis modo gigni necesse est. Verisimile autem videtur, obicem, sive pus, sive sanguis, sive mucus sit, mutationem istam subire proclivem, qua perpetuo avolat aëreum quoddam principium, hunc aërem suppeditare; vel a quadam actione vasorum parum perspecta, aërem ipsum in vesica secerni, aut a renibus huc devehi per ureteres.

Alteram causam, ut fertur, efficiunt vermes in vesica delitescentes, modo ex intestinis eo delati per ulcus, modo ibi aut in renibus generati.



Urina etiam supprimi potest a variis admodum malis partium vicinarum; quae tamen omnia collum vesicae vel urethram ipsam contra ossa pubis comprimunt, et ideo

ad

ad ischuriam ex urethrae vitio potius referri debent: Qualia sunt intestinum rectum faecibus flatuve infarctum; haemorrhoides tumidae; tumores varii generis ex partibus vicinis; catamenia in vagina, ob hymen integrum, retenta; uterus foetu, sanguine, aqua, tumore qualicunque tumidus; glandula prostata inflammata vel schirrofa; denique vitia haud pauca urethrae quae iter urinae obstruant.

P R O G N O S I S.

His, veluti in conspectum quendam quatenus scire curanti necessarium est, adducatis, etiamnum quaedam alia de prognosi proponenda sunt ad omnem ischuriam, de qua diximus, pertinentia.

Cum ad particulas, eas quae superfluae vel noxiae forent, ex corpore evehendas, magis forte quam ulla alia secretio destinata

ta fuerit urina, hujus suppressio sanitati multum noceat oportet; imo, si diutius immoratur, plerumque mortifera est. Exempla enim ea praetermittam, quibus diu cum paucissima aut nulla urina aegroti supervixerunt. Talia certe non defunt. Potuit tamen in his aut superstes excretio vitam sustentare, aut urina viam aliam affectare; ea enim ex vesica resorpta, in sanguinem saepe revehitur, aliqua alia via demum expulsura. Totum corpus aliquando inundat, lethalemque inducit anasarcam, nisi sudor, urinae odorem referens, copiose ex cute effluat: Alias in cava varia effunditur, signa aquae ibi collectae haud absimilia brevi inductura: In ventriculum deposita, vomitum humoris urinam olentis movet; in intestina, hujusmodi fluxum. Aliquando etiam per alia organa secerni videtur, uti quando copiosus salivae fluxus, urinae instar, prorumpat. Et quanquam hi exitus morbo ex renis vel ureteris vitio frequentius accidunt, in ischuria tamen vera nonnunquam observantur. Si enim urina a vesica ipsa non

non resorbeatur, ureteres, durante morbo, distenduntur, et renes, pari fere vitio ac in ischuria falsa, demum afficiuntur. At quidam sunt ischuriae vesicali proprii exitus; post longam enim suppressionem, tumor ad umbilicum aliquando ortus est, multumque urinae postea effudit: Alias urina, viam in perinaeo aperiens, ulcus difficile sanandum reliquit.

Etsi ischuria vera haud raro lethalis esse consuevit, dici tamen in universum potest, veram falsa leviorem esse et minus periculosa, tum quod diutius trahere soleat, tum quod saepe caufae ejus felicius tolli, et symptomata certius mitigari possint.

De morbi inveterati exitu, a quacunque causa primum orti, caute semper judicandum est; cum ab iterata distentione vesica demum resolvatur, et tunicae ejus fere semper crassescant. Sed, quamquam Mauchart, Lieutaud, aliique, se in cadavere, post ischuriā paucos ante dies inchoatam, vesicam prorsus vacuam, amplam tamen, nec, ut folet, contractam, invenisse affirmaverunt;

runt; patet tamen ex longa suppressione solum instrumenti ope haud raro sanati, talem effectum non adeo cito neque facile sequi; id quod etiam ostendit experimentum a Boerhaavio institutum; in cane enim, etsi urina triduum jam retenta, plenissima esset vesica, hac tamen exiguo vulnere perteribrata, exsiliit urina ad magnam altitudinem, et vesica ita contracta est, ut nullum pene cavum supereisset.

Prognosis autem pro diversis causis diversa est. Ischuria a spasmo, dummodo causa bene perspecta sit, sanatu non difficultis est. Superata vero suppressione, urinae incontinentia, post morbum praesertim vehementiorem, aliquandiu manet: Et ipsa suppressio, a causa admodum levi, quibusdam intervallis saepius recurrit.

Urina a vesicae resolutione suppressa difficillimam recipit curationem; quilibet enim musculus paralyssi correptus pristinam vim neque facile neque subito recuperat; id autem in vesica facit distensio ut paraly-

sis in deterius ruat; quae, si spina etiam male se habet, vix unquam sanabilis est.

Gravis est urina post nimiam vesicae distensionem suppressa, quippe quam inflammatio et gangraena, nisi protinus succuratur, cito excipiunt: Quibus autem hic ultra modum saevientibus, mirum non est, subito aliquem extingui *.

Distensionis diu continuatae frequens sequela est crassities vesicae aucta: Eadem in aliis membranis lenta et modica vi distractis accidit, uti in herniarum faccis, in aneurismate, in tumoribus cysticis, &c. Ubi autem morbus diu perstat, et vesicae tunicae multum corrumpuntur, remedia vix utilia fore suspicare licet. Rebus tamen ita se habentibus, terreri non debemus, si febris superveniat; hac namque actio lymphaticorum

* Sic periit eximus ille mathematicus Tycho de Brahe, qui cum Pragae in solenni convivio ultra vires et consuetudinem detineretur, diuque urinam cohiberet, postea liber, urinam amplius excernere non potuit, sed succedente vesicae inflammatione paulo post interiit.

phaticorum saepe eo usque promovebitur, ut vesicam ad solitam magnitudinem reducat, iterque urinae expediat.—Puellam in Nofocomio Edinensi, ischuria pertinacissima laborantem, vidi. Abdomen progrediente morbo magnopere distentum, et si urina cathetere saepe indies educebatur; vesicae tunicae, quantum tactu judicari potuit, multum depravatae erant. Postquam urina ultra biennium fistula regulariter educita fuisset, parum proficientibus remediis, febre oborta, abdomen detumuit, et urina sponte reddita est.

Ischuria a Pure facta, periculosissima est; vesicae enim exulceratio in senibus nullam penitus curationem admittit, in aliis aetatis difficilem; quia (ut cum verbis Hoffmanni concludam) “ nulli morbi difficilius curantur quam qui in vesicam confidunt: Est enim nervosa et exquisiti sensus pars, secundum veterem loquendi morem frigida, et paucō sanguine perfusa, ac urina perpetuo superne affluens con-

“ solidat-

molidiz. 2

“ solidationem impedit, praesertim in senibus.”

METHODUS MEDENDI.

Pro diversa morbi causa, diversa insti-
tuenda est curatio; nam neque eadem re-
media omnibus opitulantur, neque curari
id, quod aegrum est, potest ab eo qui cau-
sam, unde proveniat, ignorat.

Qualiscunque tamen ejus causa sit, si di-
utine suppressa fuerit urina, ad eam edu-
cendam, catheterem intromittere oportet:
Non ut causa morbi inde amoveri possit;
sed sic instans periculum evitatur, et tem-
pus deliberationi patet. Catheter autem,
ineunte adhuc morbo, immitti debet; et
ejus immissio, quoties res postulat, repeten-
da est, donec vesica pristinum statum recu-
peraverit. Si aegrum frequentis immissio-
nis taedet, vel si constrictio ad vesicae col-
lum facilem instrumenti transitum impedit,
flexibilem

flexibilem tubulum * per paucos dies in vesica retinere melius erit.—Cum aliter succurri non potest, et ultima experiri statutum est, tum demum urina, per vesicae incisionem, educatur.

Sedulo interim quaerenda est suppressio-
nis causa: Si spasmus, a totius corporis vi-
tio, ea est, quae spasmum compescant,
protinus adhibenda sunt; utpote balneum
calidum, injectiones aquosae in rectum vel
vaginam immissae; opium, aliaque antispas-
modica interne sumpta. Dein, ut morbo
recidivo occurratur, ad uvam ursi vel cor-
ticem Peruvianum confugiendum est. Ne-
que haec quidem omittenda in ullo vesicae
spasmo; quaedam tamen alia desiderat mor-
bus ex aliis causis ortus. Si enim a nimia
in vesicae vasis congestione provenit, utilis
erit sanguinis detractio: Si a vesicae muco
abrafo,

* Instrumentum hujusmodi, ex metallo neto in spi-
ram ducto, fabricatum, et postea cerato linteo involu-
tum, in Praelectionibus Anatomicis jamdudum lauda-
vit Cel. Monro; cerati autem lintei loco, resina elastica,
Cavoutchouc dicta, nuper usus est D. Keden, chirur-
gus Borussus.

abrafo, vel tenuiore facto, educita saepe urina, ea quae emolliunt in vesicam injici debent: Si a nimia urinae acrimonia proficitur, copiosus aquae potus porrigendus est; si autem peculiaris acrimoniae natura comperta est, quae id corrigere inveniuntur, simul tentanda sunt. Sic, post cantharidum abusum, camphora nonnunquam remedio est.

Si a torpore malum provenit, vis vesicae insita stimulantibus promovenda est.

Si, cum artuum inferiorum paralyfi, urina simul supprimitur, haec regulariter educenda est; iisque remediis, quae ad pristinam vim reliqui corporis revocandam convenient, utendum est: Quae autem, si feliciter cedunt, plerumque etiam vesicae solitum munus reddent. Si vero, superata paralyfi, ischuria adhuc perstat, vel si vesica sola ab initio resoluta est, remedia dein malo magis accommodata tentanda sunt; qualia sunt ea medicamenta, quae vi quadam stimulante in vesicam agunt, uti canthrides caute propinatae, vel quaedam ex-
terna.

terna auxilia pubi, perinaeo, vel parti cum vesica consentienti admota, quae eam ad contractionem incitent; huic confilio cataplasmata acria, frigida pedibus, ictus electrici, conveniunt.

Si urinae suppressio ab inflammatione est, huic accommodata remedia opponenda sunt. Si a morbida vesicae tunicarum crassitudine, experienda sunt ea quae hujusmodi molem resolvunt; quo casu mercurius, ictus electrici, cataplasmata quaedam discutientia, aliaque vires absorbentium excitantia, auxilium promittunt.

At operaे pretium erit de remedиis potissimum usitatis paulo fusius tractare.

Sanguinem copiose detrahere vix necessarium videtur, ni adsit vesicae inflammatio; ubi vero circa imam vesicam fibrae nimio sanguine turgent, feliciore multo eventu, ope cucurbitularum vel hirudinum, prope mali sedem, sanguis emittitur; harum enim usum in talibus exemplis multum collaudat Morgagni: ‘In amico suo,’ ait, ‘post alia incassum administrata, illo

‘demum

‘ demum remedio sublatam esse pertinacis-
‘ simam suppressionem.’

Vix ulla datur suppressio, in qua aegri, sine levamine, in balneum se demittunt; urina diu suppressa, etiam si calculus iter obstruat, saepe in eo reddita est; malo vero a spasmo provenienti potissimum convenit, quod et hujus solummodo usu aliquando tollitur. Si quidem balneum non praesto est, adhibenda tamen sunt, ad pubem et perinaeum, fomenta vel cataplasmata, aut ad naturalia, vapor aquae calidae: Neque inutile erit in rectum vel vaginam aquam calidam, cum emollientibus mistam, injicere—hujusmodi enim enemata partes vicinas non modo relaxant, sed etiam, alvum ducentendo, profundunt.

Si dolor nimis urget, laudanum liquidum, ad guttas duodecim et ultra, secunda quaque hora, propinatum Vogel commendat. Medicus autem quidam *, prospero cum eventu, se, in omni urinae suppressione, opium,

* Philosophical transactions, vol. 66.

um, cum calomelane mistum, jussisse refert: Hujusmodi compositionem, proportione opii gr. 2. ad calomel. gr. x. 6ta quaque hora deglutiendam, vix unquam suam fefellisse expectationem affirmat.

Diureticis caute semper utendum est, neque unquam, nisi in urina, a vesica nimis torpida et paralytica, suppressa; quo casu cantharides, vesicam insigniter stimulando, vim ejus pristinam restituerunt. Pari etiam attentione frigida pedibus admovenda sunt; quam noxia enim hujusmodi irritamina in vesicae inflammatione, spasmo, vel insuperabili constrictione sint, nemo qui ignorat.

Scintillas electricas, vel ejus ad pubem iectus, in vesicae resolutione simulque tunicularum ejus crassitudine, multum allatuos esse auxilii, probabile est; cum nullum fere medicamentum vim muscularum citius restituat, neque absorbentium vires certius excitet *.

F

In

* Vidi militem in Nosocomio Edinensi, hoc remedio
fanatum,

In hac quoque vesicae crassitie Mercurius a celeberrimo Gilchrist multum commendatur: "In such a delicate situation of things," ait, "many would have questioned the propriety of a mercurial remedy; and I should have doubted of it likewise, if experience, in cases of no less delicacy, had not long before convinced me of its safety and utility. A less powerful deobstruent did not appear adequate to those great and speedy effects which the vehemency of the distemper required*."

Praemissis

fanatum, cuius historiam hic breviter referam. Is, postquam iustum in Lumbis accepisset, artuum inferiorum Paralyssi correptus est, unde diu lecto affixus mansit. Urina prae vi elabi coepit; sed pubis tumore, aliisque suppressae urinae signis, medicus edoctus catheterem immitti jussit, et magna urinae copia quotidie educita fuit. Ischuria et Paralysis non tamen abierunt, et si multa remedia adhibita fuerunt: Ad machinam electricam demum missus, levamen inde manifestum expertus est. Ischuria et Paralyssi liber cito evasit, et jam perfecta sanitate utitur.

* Physical and Literary Essays, Edin. vol. 3. p. 493.

Praemissis igitur venaefectione, aliisque, prout res desiderant, auxiliis, pilulas mercuriales Pharm. Edinens. ad grana octo vel decem, singulis noctibus, propinat, quae gingivas dolore brevi afficiunt; earum tamen effectus aliquando prius sentiuntur in vesica; hujus tensio et ad collum constrictio relaxantur; urina tarde et cum minore dolore elabitur; omniumque symptomatum cito sequitur levamen.

Declinante abdominis tumore, omni inflammatione et dolore jam absente, exercitatio in equum vel in rhaeda, ad tollendas morbi reliquias, et ad vesicam simul confirmandam, imprimis utilis erit. Talis enim motus, quasi leni quodam stimulo, vim sui contrahendi insitam promovet. Aquae minerales cum maximo commodo ad curationem perficiendam accedunt. Si vero res angustae domi detineant, aqua calcis, cortex Peruvianus, aliaque tonica, horum loco substituantur.

Jamque

Jamque peregi Dissertationem ea cura,
quam aliis negotiis disticto impendere li-
cuit. Multa quidem recidenda, multa ad-
denda, multa corrigenda invenientur; sed
rem difficilem tractanti, Lector benevolus,
spero, indulget, errorumque veniam auc-
tori adhuc juveni concedet.

F I N I S.

